



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

53. De raptoribus viduarum & virginum. Item de abbatiis quæ jus  
electionis habent, seu de his quæ non habent.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

410    P R I M A    A P P E N D I X  
mus. de qua etiam contraria est quibusdam na-  
ta suspicio. Sed quia in rebus ambiguis abso-  
lutum non debet esse iudicium, hoc tuæ con-  
scientiæ elegimus committendum. Qua de re,  
si in sacro ordine constitutus, ejus te permix-  
tione esse recolis maculatum, sacerdotij ho-  
nore deposito, ad administrandum nullo mo-  
do præsumas accedere, sciturus in animæ tuæ  
periculo ministrare & Deo nostro te sine du-  
bio reddere rationem, si hujus sceleris con-  
sciis, in eo quo es ordine, celans veritatem,  
permanere volueris.

De raptoribus virginum & viduarum. Item  
de abbatibus quæ jus electionis habent,  
seu de his quæ non habent.

L I I I. Anno incarnationis Domini  
D C C C C L I I. Indictione I X. constitutum est  
in Franconofurth à Rege gloriosissimo Otto-  
ne anno illius x v. consentientibus Episcopis,  
Comitibus, aliisque fidelibus compluribus,  
canonum sanctorumque patrum auctoritate,  
necnon Capitularium præcedentium Regum  
institutiis coram positis, ne oppressio virginum  
aut viduarum vel raptus ab ullis hominibus  
fiat, & ut qui rapiunt eas sub nomine simul  
habitandi, cooperantes & coniventes rapto-  
ribus, si quidem Clerici sunt, decendant à pro-  
prio gradu; si verò laici, anathematizentur,  
& raptores sine spe conjugij permaneant.  
Quòd si post hæc jungere se præsumpserint,  
utriusque anathematizentur. Nuendum est  
etiam præfato Rege ut nulla abbatia quæ per  
se electionem habet, ad monasterium nec ali-

cui in proprium possit donari. Illæ verò quæ electione carent, Regis donatione & privilegio ad aliud monasterium, quod sub ejus munitur, consistit, surrogari possint.

Quid sit ministrare Christo.

LIV. *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* S. August. tract. 51. in Ioann.

Quo fructu, qua mercede, quo præmio? *Et ubi sum, inquit, illic & minister meus erit.*

Gratis ametur, ut operis quo ministratur illi pretium sit esse cum illo. Ubi enim bene erit sine illo, aut quando malè esse poterit cum illo? Audi evidentiùs. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus.* Quo honore, nisi ut sit cum filio ejus? Quid enim superiùs ait? *Ubi ego sum, illic & minister meus erit.*

Hoc intellegitur exposuisse cum dicit: *Honorificabit eum pater meus.* Nam quem majorem honorem accipere poterit adoptatus quam ut sit ubi est unicus, non æqualis factus divinitati, sed consociatus æternitati? Quid sit autem ministrare Christo, cui operi merces tanta promittitur, hoc potiùs debemus inquirere. Si enim hoc putaverimus esse Christo ministrare, ea quæ sunt corpori necessaria præparare, aut cœnanti cibum coquere vel adponere, vel poculum dare, potumque miscere, fecerunt hoc illi qui potuerunt eum in corpore habere præsentem, sicut Martha & Maria, quando & Lazarus unus erat ex recumbentibus. Sed eo modo Christo etiam Judas perditus ministravit. Nam & loculos habebat ipse. Et quamvis ex eis quæ mittebantur sceleratissimè furaretur, per illum tamen etiam neces-